



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De ruina veræ vitæ sacerdotalis. tit. 261

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

TITVLVS CCLXI.



Rimò, SS. Prophetę ex inspiratione Spiritussancti agnouerunt, quomodo futuris temporibus & maximè tempore quo Antichristi tempora erunt, sacerdotium esset passurum ruinam, quo ad vitam & mores sacerdotales. idè dixit Esa. 24. & erit tunc scilicet tēpus, vt sicut populus, scilicet erit lasciuus in moribus, verbo, vestitu, vita, sic sacerdos, ita quòd sacerdotes pudore afficientur, quòd sacerdotes sunt, & nomen negabunt. Nam & contumeliosum erit, dici sacerdotem vel monachum, aut monachum, &c. Idè sicut populus, sic sacerdos, sic vxoratus, barbati, cerdones, carpentarij, &c. & veniet tempus, cum pudebit sacerdotes coronę suę rasurę capitis sui, nō autem barbę. barbā enim nutriet pro coronā.

Subindè inquit Esaias: Sicut seruus, sic Dominus eius erit: nulla erit differentia inter legitimè natum & illegitimum. Erit seruus sicut Dominus, & Dominus sicut seruus. Peribit illa honestas mechanicorū in artificio exercendo, indifferenter assumentur spurij & legitimi, fugitiui Monachi & alij, &c. & sic etiā dicit Esaias, & transgrediētur leges, scilicet priorum patrum, mutabunt ius, id est, consuetudinem bonā, quę est quasi ius humanū, & dissipabunt fœdus sempiternum, id est, concordiam regum, ciuitatum, quę ad multa tempora habuerunt, omnia tum dissoluentur per dissidium. Propter hoc maledictio deorabit terrā, inquit Propheta, & sic erit, quod Christus p̄dixit Matth. 24. Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas &c. id est, illa concordia ciuitatū, artificum &c. 2. Timot. 3. Erunt homines seipfos amantes, sine pace &c. & Rom. 1. sine fœdere, seu fœdisfragi.

Polite

Postremò dicit Esaias: sicut ancilla, sic domina erit, id est, nulla obediètia aut timor erit istis temporibus familię erga dominum. Seruus non timebit dominū, nec ancilla dominam. Tunc volet esse æqualis ancilla dominę, & parūm reputabitur yrginitas, sed erit quòd quamque pudebit coronę suę, & potiùs velum quā crinile appetetur. Tunc maritus reputabit vxorem tanquā ancillam, &c. & dominus plus cogetur honorare seruum, quā filium, &c. Hęc omnia sunt signa Antichristi. Et sic erit signum in vita sacerdotum, quandò illi se inceperint conformare populo, & non singularem atq; exemplarem vitam duxerint, actum est de religione, Mat. 5. Vos estis sal terrę, lux mundi, &c. Ideo iam videmus, quā incipiunt seruire Antichristo, partim spirituales, partim mundani, &c. Vestitu partim mariti legitimi, partim fornicatores, partim in choro, & partim in plateis, &c.

DE VICTORIA ECCLĒ.

sic aduersus omnes hęreses.

TITVLVS CCLXII.

EXodi 7. scribitur, quòd Dominus dixit ad Moysen & Aaron: Cūm dixerit vobis Pharaon, ostendite signa, quòd Deus vos miserit educere populum &c. dices tu Moyses ad Aaron: tolle baculum & projice corā Pharaone, & vertetur in colubrum &c. Fecerunt & hoc venefici cum suis baculis, sed deuorauit baculus aut virga Aaronis, in serpentē conuersa, virgas & serpentes Magorum, &c. vide textū. Hęc virga, vt inquit Augustin. in libro de catechismo cap. 5. significauit doctrinam & Euangelium verum Iesu Christi, quę tandem superat omnes serpentes, id est, doctrinas hęreticorum deuorat, sicut fecit ab initio Ecclesię, & in hodiernum diem facit. Deuorauit Ar-
rium,